

aedificio, ut vestitu, cultuque corporis: animo autem virtute praedito, eo, qui vel amare, vel, ut ita dicam, redamare possit, non admodum delectari? Nihil est enim remuneratione benevolentiae, nihil vicissitudine studiorum, officiorumque jucundius. Quod si etiam illud addimus, quod recte addi potest, nihil esse, quod ad se rem ullam tam alliciat, et tam attrahat, quam ad amicitiam similitudo: concedatur profecto, verum esse, ut bonos boni diligant, adsciscantque sibi quasi propinquitate conjunctos, atque natura. Nihil est enim appetentius similium sui, nihil rapacius, quam natura. Quamobrem hoc quidem, Fanni et Scaevola, constat, (ut opinor) bonis inter bonos quasi necessariam benevolentiam esse: qui est amicitiae fons a natura constitutus. Sed eadem bonitas etiam ad multitudinem pertinet. Non est enim inhumana virtus, neque immunis, neque superba: quae etiam populos universos tueri, eisque optime consulere soleat: quod non faceret profecto, si a caritate vulgi abhorreret. Atque etiam mihi quidem videntur, qui utilitatis causa fingunt amicitias, amabilissimum nodum amicitiae tollere. Non enim tam utilitas parta per amicum, quam amici amor ipse delectat: tumque illud fit, quod ab amico est profectum, jucundum, si cum studio est profectum: tantumque abest, ut amicitiae propter indigentiam colantur, ut ii, qui opibus et copiis, maximeque virtute praediti, in qua plurimum est praesidii, minime alterius indigeant, liberalissimi sint, et beneficentissimi. Atque haud scio, anne opus sit quidem, nihil umquam omnino deesse amicis. Ubi enim studia nostra viguissent, si numquam consilio, numquam opera nostra nec domi, nec militiae Scipio eguisset? Non igitur utilitatem amicitia, sed utilitas amicitiam consecuta est.

Non ergo erunt homines deliciis diffluentes audiendi, si quando de amicitia, quam nec usu, nec ratione habent cognitam, disputabunt. Nam quis est, pro deum fidem, atque hominum! qui velit, ut neque diligat